



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

24. An si moribundus cepit facere testamentum, vel Codicillum, & non potuit perficere, sit irritum quoad pias causas Ex p. 5. tr. 3. res. 126.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

antequam decederet, scripsisse, vel dictasse asseuerat; debetne pro vltima legitima voluntate haberi? Respondo & dico Primò: Si manus Testatoris agnoscatur, vel duobus Testibus probari potest, pia eius voluntas executioni mandanda est.

3. Dico Secundò, Si ipsemet Parochus legata annotauit, non creditur ipsi sine alio teste: quare moneandi sunt Parochi aliique Confessarij, vt vltimas eiusmodi dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi aduocatis duobus Testibus masculis, aut feminis. Quamquam etiam vnus cum Parocho sufficere poterit; licet legatum sit pro Ecclesia sua quandoquidem Rector, aliusve beneficiatus, aut Religiosus non prohibetur esse testis in causa Ecclesie sue.

4. Dico Terriò, Si Testator in Testamento, vel coram testibus voluntatem suam declarauit, quòd velit quòdam ad pias causas erogari, sicut v.g. Confessario suo mandauerat: hoc casu Confessarius audiendi debet, & secundum eius relationem executio fieri; modo talia indicia afferat, vt spectatis circumstantiis verisimile effect possit, defunctum ea ipsi mandasse. Huc vsque Layman, cui adde etiam Dicastillum *de iust. l. 2. tr. 19. disp. 1. dub. 10. n. 120 & n. 123.* asserit quod si Testator in Testamento vel coram Testibus dixerit, se velle quòdam ad pias causas erogari iuxta id, quod cum Confessario suo egerat, aut illi mandauerat, tunc Confessarius audiendi debet, & standum erit eius declarationi, si talia indicia afferat, vt verisimile sit defunctum ipsi illa mandasse. Ita ille, qui citat Nauarum, & Couarruiam.

RESOL. XXIV.

An si moribundus cepit facere testamentum, vel codicillum, & non potuit perficere, si irritum quoad pias causas? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 126.

Sup. hoc in
Ref. seq.

§. 1. Si moriturus cepit facere testamentum, vel codicillum, & morte praeventus non absoluit, licet secundum alia irritum sit, *l. si is qui ff. qui testamentum facere possunt*, valet tamen quoad relicta pia, quae in sua illa imperfecta dispositione iam expresserat. Tamen si enim voluntatem suam mutare potuerit testator, cum tamen re ipsa nullam mutationem significarit, naturali pariter ac Canonico iure firma manere debet. Vide Malderum *in 2. 2. tr. 1. c. 1. d. 8.* Layman *l. 3. sect. 5. tr. 3. c. 2. n. 6.* & alios penes ipsium.

RESOL. XXV.

An testamentum, vel codicillum ad pias causas incapuum, & non finitum, sit validum?

Et aliqua alia circa hoc inferuntur, & explanantur.

Et tandem notatur quòd, vel testamentum ad pias causas, si a testatore in praesentia testium, qui testatoris voluntatem audierunt, est dictatum, notarius vero id postquam scripsit, non legit testatori, & testibus, non obest quòd non iterum est lectum testatori, & testibus si voluntas test. rest. probatur. Ex p. 7. tr. 6. Ref. 20. alias 19.

Sup. hoc in
Ref. praeced.
rit.

§. 1. Dico quòd si moriturus cepit facere Testamentum vel codicillum, & morte praeventus non absoluit; licet secundum alia irritum sit, *leg. si is qui Digest. Qui test. facere possunt*, valet tamen quoad relicta pia, quae in sua illa imperfecta dispositione iam expresserat. Tamen si enim voluntatem suam mutare potuerit testator, cum tamen re ipsa nullam mutationem significarit, naturali pariter, ac Canonico iure firma manere debet, sicuti docet Bartol. *l. in Testamento, ff. de fideicommiss. Abb. in c. 1. & penult. de success. ab intestato.* Tiraq. *Prinil. 7.* Couar. *cap. relatum. r. nn. 14.* Valq. *tr. de testam. c. 2. n. 27.* Molin. *cit. disputat. 134.*

contra Clar. *qu. 7. n. 4.* & Fachin. *lib. 4. contron. cap. 7.* Quibus adheret damnatus Auctor Contr. Bittertinius *de dif. iur. Civil. & Can. lib. 4. c. 2.* Sed communem sententiam tenet Dicast. *de iust. lib. 2. tr. 19. disputat. 1. dub. 10 n. 124.*

2. Sed non deferam hinc apponere verba doctiss. P. Molinæ *in d. disp. 134.* vbi sic ait: Vtrum verò dispositio ad pias causas imperfecta valida sit, distinguendum est. Duobus namque modis potest dispositio aliqua ad pias causas dici imperfecta. Vno, quia cum testator animum haberet disponendi, & ad id fortè instructionem haberet propria manu scriptam, vocassetque tabellionem, praeventus tamen morte, nihil reipia disposuit. Et cum huiusmodi imperfecta dispositio simpliciter non sit dispositio, conueniunt Doctores omnes vim non habere. Atque hoc est, quod Couarruias cum communi sententia, quam refert, voluit *c. relatum num. 6.* & quod Gama *decif. 221.* ait: Altero modo dicitur imperfecta dispositio, quia cum testator testamentum, aut codicillum verba aut scriptis incepisset, quòdamque in eo disposuisset, morte tamen praeventus non potuit absolueret. Et in hoc euenit iul. Clar. *§. restam. qu. 7.* Anton. *Gom. ad l. 3. Tauri. n. 18. & 106.* & alij quos referunt, censent talem dispositionem esse inualidam, etiam quoad pia, quae illuc vsque disposuerat. Contraria tamen sententia est proculdubio asserenda cum Bart. Panor. & alijs, quos Couar. *loc. cit. num. 10.* refert, ac sequitur. Etenim stando in solo iure naturali, seclusaque iuris Civilis dispositione, valida sunt illa, vt pote iam disposita, non obstante, quòd testator posset illa reuocare ac mutare, vel in progressu testamenti, vel postquam illud haberet absolutum: cum ergo, vt dispositio ad pias causas sit valida, non aliud exigatur, quam quod sufficit stando in solo iure naturali consequens est, vt illa valida sint. Hucusque Molina, quem etiam sequitur Dicast. *vbi supra. n. 233.*

3. Ex his Th. Maulius *tr. de vlt. vol. l. 1. §. 12. n. 9.* infert decisionem cuiusdam dubij, & sic asserit: Si testator coram duobus testibus publicauit suam sententiam, vel fecit scribi in eorum praesentia voluntatem suam, & instituit piam causam haeredem, iussit Notarium accerferi, vt de dicta voluntate instrumentum conficeret, vel dixit testibus, quòd velit suam ordinationem scribi facere per Notarium: sed testator decessit antequam Notarius scripsit, haec voluntas erit pro imperfecta habenda, & fauore piae causae non sustinebitur. Oldrad. *in cons. 119.* Et hanc dicit communem lall. *cons. 155. vers. sed per Aduocatos, lib. 4.* Clar. *§. restam. q. 7. n. 3. vers. aliquando & terriò.* Non enim videtur de bonis suis disposuisse, sed tantummodo praeparasse id, quod disponere volebat.

4. Plane si appareat ex verbis testatoris eum habuisse eam voluntatem pro perfecta & absoluta, tunc omnes DD. admittunt conuocationem Notarij non efficiere, quo minus subsistat testamentum, & hanc dicit communem Aret. *in l. si quis cum testamentum, ff. de test. & dicit frequentissimo consensu approbatum Grass. §. rest. q. 19. n. 4. vers. in autem appaerit.*

5. Notandum est etiam hinc obiter, Testamentum ad pias causas, si à Testatore in praesentia testium, qui testatoris voluntatem audierunt, est dictatum, Notarius verò id, postquam scripsit, non iterum legit Testatori, & Testibus, non obest, quòd non iterum est lectum testatori, & testibus si voluntas testatoris testibus probatur, Couar. *in cap. relatum el. 1. n. 15. & 16. extr. de Testam.* cum enim scriptura ad probationem non adducatur, eius solemnitas non est curanda.

6. Nota tamen quòd post haec scripta inueni Trull. *in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 18. dub. 4. num. 3.* & Bonaciam *de contr. act. d. 3. quast. 1. punct. 3. mun. 22.* docere in casu praesentis dubij non esse restituendam totam hereditatem